

I. N. J!

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
*DE*  
INCOMPREHENSI-  
BILITATE DEI,

*Quam*

Deo Trinuno Annuente  
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
*DUCATUS ISENACENSIS HEREDE,*

DN. GVILIELMO HENRICO,  
DVCE SAXONIÆ, JVLIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM,  
ANGARIÆ ET GVESTPHALIÆ, &c. &c.

*ex*

*Indultu amplissimæ Facultatis Philosophicæ*  
*in,*

*florentissima SALANA*  
*placido eruditorum calculo submittit*  
P R A E S E S

M. JO. JACOB. ECKENBERGERUS,  
Ratisponensis,  
R E S P O N D E N T E  
CHRISTOPH. ADAMO TOBIA CLAUSNIZERO,  
Weid. Pal.

Ad d. XXIII. Septembris M D C C I I.

H. L. Q. C.

JENÆ, Stanno KREBSIANO.

a. XXIX. 10.

Coll. diss. A  
29, 10





# I. N. J!

## THESIS I.

**D**EI existentiam & essentiam ex lumine naturæ etiam quodammodo cognosci posse, præter scripturam sacram Christianorum pariter & Gentilium monumenta clarissimis loqvuntur pignoribus. Augustinus serm. 149. Interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilati & diffusi aëris, interroga pulchritudinem cœli, interroga ordinem siderum, interroga solem fulgore suo diem clarificantem, interroga lunam splendore suo sequentis noctis tenebras temperantem, interroga animalia, quæ moventur in aquis, in terris, quæ volitant in aëre, latentes animas, perspicua corpora, visibilia regenda, invisibles regentes, interroga, ista respondent tibi omnia : Ecce vide pulchra sumus : pulchritudo eorum, confessio eorum est, ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher? Cicero Oratorum princeps l. II. de nat. Deor. Quis hominem dixerit, qui cum tam certos cœli motus, tam raros astrorum ordines, tamque pulchre omnia connexa videt, negat in cœlo rationem Numinis esse & putat bac omnia casu fieri, que quanto consilio gerantur, consilio nullo assequimur. Et de somn. 127. Quis sit tam vecors, qui cum suscepserit in cœlum,

A 2

Deos

*Deos non sentiat? Taceo Pythagoram, Platonem, Aristotelem,  
& alios complures.*

### Th. II.

Quem verò ad modum Dei existentia & essentia ex lumine naturæ mortalibus innotescunt: in eundem divina attributa, quæ ex Dei essentia & primo conceptu, si quis datur, necessario promanant, demonstrari posse, nemo nisi peponem pro cerebro habeat, inficias temere ibit. Si enim quis tantam rerum concinnitatem, tam admirandum mundi ordinem curioso perlustrat oculo, animoque reponit, imò, sane non tantum moderatorem aliquem cognoscit, sed eum etiam sapientem, bonum, omnipotentem &c. esse colligit, cum effectus suæ causæ virtutem agendi non exceedat.

### Th. III.

Inter hæc si quis ejus incomprehensibilitatem referat, neutquam a veritatis tramite aberrabit. Nam si illud attributum Dei dicendum, quod ex ejus essentia vel immediate vel mediate fluit, quid prohiber, quo minus etiam incomprehensibilitatem attributum divinum dicamus, cum, & que ac cætera ex essentia & primo conceptu Dei proprio promanet.

### Th. - IV.

Cum vero attributa divina alia sint *positiva*, quæ, ut summe reverendus atque excellentissimus Dn. D. Hebenstreit, Præceptor meus ætatem venerandus, in *Theol. Nat. exercit. IX. tb.*, *IX. docet*, in se non tantum realem ac positivam perfectionem dicunt, sed etiam a nobis sine negatione, imperfectionum in creaturis deprehensorum, ac potius cum

cum respectu ad perfectiones in creaturis occurrentes & per modum illarum, licet in gradu eminentiore, concipiuntur; alia *negativa*, quæ a nobis concipiuntur cum negatione quadam ac remotione imperfectionis alicujus in creaturis deprehensæ: incomprehensibilitas ad attributa Dei negativa spectat. Licet enim quoad rem sit ipsa Dei substantia, tamen in suo conceptu formaliter involvit negationem, seu nomine negativo significatur, & formaliter tanquam imperfectionis negatio concipitur. Evidem si quosdam audiamus, tantum abest, ut hoc nobis largiantur, ut id negent potius, pernegrantque. Verum enim vero concedi quidem potest, si eam materialiter consideres, cum alias cum essentia Dei positiva non posset identificari, neutrāliam vero formaliter, cum non possit non a nobis cum negatione aliqua concipi.

### Th. V.

Et quidem incomprehensibilitas Dei est attributum, *negativum*, non vi significationis, ut æternitas, simplicitas, sed vi suæ originis, cum vox *incomprehensibilitatis* composta sit ex præpositione IN, quæ in compositione negandivm habet, ut, quemadmodum infinitas Dei dicitur attributum negativum, quia de eo negat omnem terminum, tam terminum durationis, quam loci & perfectionis: ita incomprehensibilitas Dei neget comprehensibilitatem. Vere igitur non minus, quam graviter B. Donatus *in instit. Pneumat. c. VIII. §. 10. p. 226.* scribit: *incomprehensibilitas* vi vocis negationem *comprehensibilitatis*, utilique, importat, ut incomprehensibile sit, quod comprehendendi nequit.

### Th. VI.

Porro non spectat ad attributa Dei *absoluta*, quæ nullum ad creaturas respectum involvunt, sed ad attributa *relati*.

tiva, quæ aliquem ad creaturas respectum importantur. Cumque hæc iterum sint vel *crepuncta*, seu *operativa*, quæ, quid Deus circa creaturas agat, exprimunt, vel *crevēctata*, seu *quiescentia*, quæ, quâ ratione Deus respectu creaturarum se habeat, declarant, ad hæc incomprehensibilitatem referendam arbitramur.

### Th. VII.

Denique incomprehensibilitas non est attributum Dei immediatum, quod ex primo Dei conceptu, videlicet independentia sine ullo alio attributo interveniente promanat, ut infinitas, sed mediatum, quod medianre altero attributo ex primo Dei conceptu resultat. Fluit enim ex primo Dei conceptu interveniente ejus infinitate. Nam quia finiti ad infinitum nulla proorsus datur proportio, certe non liquet, qui finitus intellectus omnia, quæ in infinita Dei essentia latent, plene capere ac comprehendere possit.

### Th. VIII.

Unde describi potest incomprehensibilitas Dei, quod sit attributum Dei negativum quiescens mediatum, vi cuius Deus a nullo creato intellectu plene concipi potest. Dicitur in descriptione: *ab intellectu creato*. Licet enim Deus, cum infinitus sit, se ipsum suo intellectu comprehendat, tamen intellectus infinitam Dei essentiam adæquate comprehendere nequit, cum nullum finitum capax sit infiniti. Unde Vazquez disp. LIII. quest. XII. art. VIII. n. 5. Cum Deus ex se sit infinitus, ideoque postulee infinite cognosci, nulla cognitio erit ipsi adæquata, nisi infinita sit, qualis expertus est ea, quam Deus de seipso habet, ergo bac solum comprehendetur. Et B. Stephanus Klozius Pneumat. disp. IV. §. 15. p. 128. Sane modus intelligendi, qui in intelligente est,

sequitur

sequitur modum essendi ejusdem : *Est enim potentia intelligentia affectio, qua esse intelligentis intime consequitur : Esse autem creature est finitum, imperfectum, compositum, intelligendi potentia est finita, conceptus, species intelligibles, intellectiones sunt finitae, non ergo potest ab intellectu finito & imperfecto formari conceptus proprius adequate representans, exhauriens & comprehendens totam Dei infinitatem, actualitatem, simplicitatem & perfectionem.* Dei eomodo, ut est in Deo. Nec dissentit ab eo Henningius in Muhammedano precante prec. 8. not. a. p. 309. *Ut infinita est ejus perfectio, ita a nulla creatura plene percipi potest.* Dicitur 2. *plene.* Quo ipso subinnuitur, Deum a creato intellectu quidem apprehendi, sed non comprehendendi posse ; quandoquidem ad apprehensionem sufficit, si aliquid tantum de objecto cognoscibili quomodocunque cognoscatur. Sic homo ductu luminis naturæ de Deo cognoscere potest, quod sit *ens independens*, quod a nullo alio ente, tanquam a causa cum alteritate naturæ esse suum, inceperit ; *infinitum*, quod nullis terminis includitur, nec includi potest ; *immensum*, quod nullo loco, ubi aut spacio circumscribitur, aut circumscribi potest ; *eternum*, quod principii, finis omnisque vicissitudinis ac successionis expers est ; *simplex*, quod ab omni compositione reali immune est ; *immutabile*, quod nulli mutationis generi obnoxium est. Unde probe distingendum inter cognitionem Dei comprehensivam, qua Deus ita cognoscitur, ut nihil ejus cognoscentem lateat, & inter cognitionem Dei apprehensivam, qua aliquid de Deo quomodocunque cognoscitur. Istam, non vero hanc includit incomprehensibilitas.

### Th. IX.

Hanc Dei incomprehensibilitatem præter S. Scripturam

ram nunc non attingendam adstruit Patrum turba, nec Gentiles spississimis alias tenebris obsepti eam negantur. Trahunt huc illud Pauli *I. Cor. XIII. 12.* Θλέπομεν ἄλλη δι' ἐσόπτερος τὸν αἰνίγματα, ubi loquitur de cognitione mysteriorum Dei, quae tantum est ἡ μέρος. Εἰ tanquam δι' ἐσόπτερος per speculum (quod alias etiam κάτοπτρον dicitur) in quo non ipsam substantiam cernimus proprie, nisi ut Er. Schmidii verba mea faciam, per αὐδὴν λασθήνη, sed figuram ejus ut cunque eatenus, quatenus speculo obversa est: Εἰ ita cernimus τὸν αἰνίγματα seu obscuro indicio. Quod tamen adeo non urgemus. Hieroymus ad *jer. XXXIII. 19.* Quem non comprehendit cogitatio, quomodo potest sermo comprehendere? Augustinus init. lib. V. & N. T. ad quest. quid sit Deus? respondens ait; Deus hoc est, quod nulla attingit cogitatio, plus enim est, quam quicquid dici potuit, aut cogitari. Damascenus lib. I. de fide Deum vocat αἰνίγματον, incomprehensibilem. Nazianzenus *Orat. 34.* quæ est de Theolog. 2. n. 9. At rem tantam (scil. Deum) animo comprehendere omnino impossibile est, non modo ignorans & languidis, deorsumque vergentibus, sed magnis etiam & excelsis viris, Deique amore præditis ac mortalibus pereque omnibus, quibus ad veri cognitionem caligo bæc & carnis crassities tenebras offundit. Basilius M. homil. 10. in hexaëm. div. opif. In Deo considera natura simplicitatem, magnitudinem quantitatis expertem. Ubique est & supra omnes redundat, supereminens universis. Attractu nullo definitur, infinitus enim. Comprehensione tua cum sit superior, elabitur; non ulla quantilibet circumscribitur magnitudine, non formæ ullius deliberatione comprehenditur, quantamlibet imaginare potentiam,

non ipsum quiveris metiri. Idem Orat. 10. de principatu: Si minutissima formice naturam nondum cognitione asse-  
catus es, quomodo naturam Dei incomprehensibilem at-  
que inperceptibilem te comprehendere posse gloriaberis? Nam existimare, se essentiam Dei, qui res omnes antecel-  
lit, comprehendisse, magna arrogantia ac fastus est. Ter-  
tullianus cap. XVII. Apol. adv. gent. Invisibilis est, et si vi-  
deatur, incomprehensibilis, et si per gratiam reprezen-  
tetur, inestimabilis, et si sensibus estimetur. Consona-  
tradunt Hilar. II. de Trin. in fronte, & lib. X. sub calcem.  
Anselmus in lect. sup. Evang. lect. in Matth. XVII. Chry-  
stostom. in Ies. VI. Epiphan. lib. 3. contra heres. in 70.  
**Concilio Later.** de summa Trin. Et fide Cathol. cap. firmi-  
ter. Ex Gentilibus chorū dicit Plato in Parmenio-  
ne, quando scribit: Deus neque nominari, neque dici,  
neque cogitatione comprehendī, neque cognosci, neque ab  
ullo sentiri potest. Huc spectat, quod Romanæ eloquen-  
tiæ Parens lib. I. de nat. Deor. de Simonide refert, qui regi  
Heroni explicaturus, quid sit Deus, spatium ad deli-  
berandum accepit biduum, triduum, & cum aliquoties  
duplicasset numerum, tandem in hæc erumpit verba:  
*Quanto magis cogito, tanto minus intelligo, quid sit illud,*  
*quod vocamus Deum.* Nec desunt, qui huc referunt o-  
culiferium illud, quod Athenis aræ cuidam inscriptum,  
Paulus legebat: Αγνώσω Θεῷ, Act. XVII. 23. autumantes, A-  
thenienses a Philosophis & Sibyllis forte etiam a Judæis  
percepisse, Deum verum esse invisibilem, absconditum,  
sublimem, inaccessum & incomprehensibilem. Sed quam-  
firmiter id inde colligi queat, judicent, quibus Phœbus de  
meliori luto formavit pectus.

B

Th. X.

## Th. X.

Quodsi vero Scholasticorum, quos vocant, monu-  
menta evolvimus, deprehendimus, drai, qui pro diversa,  
vocis acceptione, diversoque creati intellectus statu, in-  
comprehensibilitatem modo adstruunt, modo negare non  
erubescunt.

## Th. XI.

Nominales, quo eam declarant, quinque comprehen-  
sionis fingunt modos. Primus est, quo tota res ita clare  
& distincte videri potest, ut nihil ejus lateat videntem.  
Quo modo beatos Deum comprehendere inquiunt. Se-  
cundus est, quo distincte comprehenditur totum & o-  
mnes ejus partes. Hac ratione Deum incomprehensi-  
blem statuunt, quia destituitur partibus. Tertius est, quo  
videtur res optimo, quo videri potest, modo. Sic nec  
Deus a beatis comprehenditur, nec ulla alia creatura.  
Solus Deus seipsum & cætera novit optumo modo, quo  
cognosci queunt. Quartus, quo cognoscuntur omnia  
prædicata, quæ de tali objecto cognosci possunt. Hoc  
modo solus Deus seipsum comprehendit, quia solus o-  
mnia, quæ sibi tribui possunt & conveniunt prædicata  
novit. Quintum denique comprehensionis modum di-  
cunt, quando cognitio eandem cum cæteris cognitioni-  
bus proportionem habet, quam habet res ipsa cognita  
cum aliis rebus. Quoniam ergo cognitio, qua beati Deum,  
cognoscunt, alias cognitiones non transcendat, inferunt,  
hac ratione Deum solum esse, qui seipsum plene, perfecte  
& adæquate comprehendat. Sed varias has comprehen-  
sionis acceptiones Vazquezius *Disp. LIII p. XII. c. 3.* rejicit, tan-  
quam frivolas, & solido fundamento destitutas. Arbitra-  
tu vero incomprehensibilitatem longe faciliori explicari  
posse

posse ratione. Videlicet præsupposita descriptione Hippo-  
ponensium ecclesiarum episcopi Augustini: *Comprehendere est  
rem ita videre, sicuti est, ut nihil ejus videntem lateat,*  
duos tradit comprehensionis modos: Unum, quo co-  
gnoscitur id tantum, quod in re est formaliter & ad illius  
essentiam vel etiam proprietates intrinsece pertinet; al-  
terum, quo non tantum cognoscitur, quicquid in ipsa est for-  
maliter, sed etiam quicquid eam consequi vel ab ea pendere  
potest. Priori modo dicit Dei comprehensionem homini-  
bus reservari in præmium in altera vita, sed posteriori  
modo Deum a nobis comprehendi non posse. Quod  
priorem attinet, diffiteri quidem nemo potest, Angelos  
pariter & beatos Deum longe perfectiori modo cognosce-  
re, quam mortales in hac via ad cœlestem patriam con-  
stituti, ast an ista cognitio sit Dei comprehensio, a qui-  
busdam dubitatur. Nec, si superiora in subsidium vocan-  
tur, sine omni fundamento. Unde Durandus & Soto id  
non tam in dubium vocant, quam plane negant Klotzius,  
veluti anticipi jactatus æstu, hoc non temere definiendum  
judicat, sed a nobis expectandum.

## Th. XII.

Alii distingvunt inter comprehensionem extensivam,  
qua, quicquid in objecto vel formaliter vel eminenter est,  
cognoscitur; & inter comprehensionem extensivam & in-  
tensivam simul, quæ habetur de objecto cum claritate infi-  
nita & intensiva perfectione. Priorem admittunt, posteriorē  
vero negant. Verum enim nec prior, nec posterior  
in Deum cadit. Non prior, quia nullus creatus intellectus  
omnia, quæ in Deo sunt formaliter & eminenter, cogno-  
scere potest, nec posterior, quia nulla res creata gaudet  
claritate infinita, & intensiva perfectione summo in gradu.

B 2

Unde

Unde , teste | S varezio , Albertus dicere non erubuit , blasphemiam esse contra divinitatem Christi afferere , eam ab ejus humanitate comprehendi : quod nostrum tamen non sit , nec hujus etiam est loci .

### Th. XIII.

Adeo diversæ de incomprehensibilitate Dei extant sententiæ , ut non inepte dicas : Quot capita , tot sensus . Nos non amplius recensendis iis immorabimur , sed cum Vazquezio & B. Klozio arbitramur , significationem hujus nominis & verbi *comprehendo* , cum a corporalibus ad spiritualia translata sit , petendam esse ex diversa acceptione , quæ probatis autoribus tam circa corporalia , quam spiritualia recepta est . Juxta istos vero I. in corporalibus comprehendere idem est , quod apprehendere aut consequi rem aliquam , licet ex parte eam teneamus , & tota ejus quantitas non sit intra latitudinem continentis , ut cum manu tenemus aliquid ex una parte . Terent. *Eun. ad. 5. sc. 1. v. 20.* comprehendendi jube , quantum potest , heiß ihn gefangen nehmen / ie ehe / ie besser . Cic. *III. Cat. c. 7.* manus comprehendere . Comprehensio ergo servata significacione translatitia erit cognitio quævis aut apprehensio etiam illa , quæ inadæquate rem attingit , & quasi ex parte tenet . Talis comprehensio cadit etiam in homines viatores , sed hæc acceptio non est hujus loci . II. Sicut in corporalibus dicitur comprehendere , quando quis non aliquam tantum rei partem , sed totam ejus quantitatem intra se complectitur , & suo ambitu claudit : prout sphæra manu comprehenditur , si tota ejus quantitas intra eam continetur : ita comprehensio spiritualis , huic corporali respondens , erit talis cognitio , quæ rem ita cognoscit , ut nihil ejus cognoscentem lateat , sed tota ipsa potius veluti mentis sinu contineatur , ac circumscribatur .

Tali

Tali modo Deus a viatoribus non cognoscitur, nec cognosci potest. III. In corporalibus id comprehendere dicatur, quod ita capit, ut elabi non queat, aut ullo modo excedere id, quod comprehenditur, vel aliqua sui parte extare, adeoque modo quodam arctiori stringit & arctat id, quod comprehendit. Comprehensio ergo spiritualis erit talis cognitio, quæ non solum cognoscit totum objectum, sed etiam totaliter, seu omni modo, quo ex se cognosci postulat, ut cognitio sit tantæ perfectionis, quantæ est objectum in genere cognoscibilis. Hac ratione Deus absolute incomprehensibilis creato intellectui, sive in hoc, sive in altero statu constitutus fit.

### Th. XIV.

Plura sunt, quæ de præsenti materia in medium proferri possent, ast chartæ & temporis angustia clausi ei colophonem imponimus, ea alii reservaturi occasioni.

## SOLI DEO GLORIA!



Johannes Dolm.

B 3

Ingenii

**I**ngenii foetum Tibi pectorē  
gratulor imō,  
Secundet studium porro  
Jehova tuum!

*Præ-Clarissimo Dno. Mag. Eckenbergero  
de eximio Eruditionis specimine  
gratulaturus scribebat*

**Michaël Zülichius, SS. Theol. D.**

Consiliarius Saxo-Isnac. Ecclesiasticus,  
Superintendens & Pastor Jen. Primarius.

---

**V**ox NUMEN capias, ECKENBERGERE!  
probaſti,

ingenuè faſlus, quod capias minime.

*Imm̄ḡ*

**f.**  
Jo. Phil. Treuner D.  
& P.P. Prof.

---

**I**mmensitatem, AMICE, dum volvis DEI  
Perstrenue, mentis decoræ immensitas,  
Tuæ relucet. Inde posthac gloria  
Immensa Te bono sequetur omne.

*l. mḡ scrib.*

M. Joh. Lauterbach Facult. Philos.  
Adj. & Schol. Jenens. R.

Coll. dies. A. 29, misc. 10